

**05  
A  
2314**



44.49

DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA  
*De,*  
**HÆMORRHAGIARUM**  
GENUINA ORIGINE ATQUE CU-  
RATIONE EX PRINCIPIIS  
MECHANICIS.

*Quam*,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO IUVENTUTIS PRINCIPE,  
**DN. FRIDERICO GVLIELMO**,  
ELECTORAT. BRANDENB. HEREDE,  
*&c. &c. &c.*

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA  
*Gratioso Facultatis Medicae Consensu*

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,  
MEDICINÆ DOCT. EJUSDEMQUE AC PHILOSOPH.  
NATURAL. P.P. MEDICO ELECTORALI AULICO,  
COLLEGII MEDICI h.t. DECANO,  
PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO  
*OMNIBUS NOMINIBUS COLENDO.*

*Pro DOCTORATUS GRADU*

*RITE IMPETRANDO,*

Ad diem XXVI. Jul. MDC XCVII. horis ante & pomeridianis

IN AVDITORIO MAIORI

*publicæ disquisitioni submittit*

**JOHANNES DANIEL DOLÆUS,** +  
Hanoviæ Wetteravus.

---

HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

55

HANOMARIA  
GENINAE  
RATONIÆ  
MECHINICÆ



05 A 2314  
IN ERICHSEN  
BIBLIOTHEK  
HANOMARIA  
GENINAE  
RATONIÆ  
MECHINICÆ  
VOL. I  
HALLE (SAALE)  
1814



## DISSERTATIO SOLENNIS

De

# HÆMORRHAGIARUM GE- NUINA ORIGINE ATQUE CURA- TIONE

ex

## PRINCIPIIS MECHANICIS.

§. I.



Uemadmodum ex fluidi sangvinei probe mixti perrenni atque in orbem æquabilem abeunte, mediante cordis partiumque corporis musculosarum vigore, motu, sanitatis ratio unice petenda est: Ita certe genuinas morborum cauias ortusque ex eodem proficiisci fonte, nemo nisi qui ignarus solidioris theoriæ medicæ est, ibit inficias. Etenim duo in universum sunt fundamenta, existimo materiam & motum, quibus sicuti naturæ operationes omnes continentur, sic in medicis consideratio machinæ, tam secundum quam præter naturam, his ipsis innitur. Enim vero quicunque medicus exquisitam mixtionis sanguinis ejusque motus tam secundum

A. 2 dum

dum naturæ leges ac ordinem, quam præter illum in corpore celebrati habet notitiam, ille perplexas multis que ambiguitatibus immersas in Physiologicis & Pathologicis difficultates, non modo dirimere, verum etiam gentium morborum genium ac ortum, ad rationalem praxin stabiliendam summe necessarium, aptissime detegere poterit. Medicorum recentiores in id cum primis incumbere consueverunt, ut saltim in omni morborum genere materiae devias qualitates vitiaque, satis solerter explicent atque scrutentur; At vero paucos reperies, qui motum partium fluidarum, qui tamen præcipuum & fundamentale naturæ, quo utitur instrumentum est, in indaganda morborum indole ac genesi rite attendant atque expendant, & ad eundem meditationes suas decenter dirigant. Quandoquidem motus revera est, qui vitam conservat, dum homogenea succorum vitalium intime unit & miscet, heterogenea autem secernit, sicque crasis vitalem à corruptione præservat; in quo maximam partem vitae ratio atque integritas consistit. Motus rursus est, qui solus nullo præsente materiae vitio, ipsam sanguinis & humorum crasis totumque corpus mirifice alterare & morbos prognoscere potest, luculento exemplo affectuum animi, vel etiam intensi atque acerbi doloris, qui gravissimum symptomatum parens, quotidianā existit experientiā. Quo circa prudenter illi faciunt, qui præter considerationem materiae in eruendis morborum causis, etiam ad motus humorum attendunt, mechanica atque hydraulica principia in subsidium vocando simul morbos explicare satagunt. Exemplo jam nobis sint sanguinis excretiones, quæ toto genere præter natum contingunt, quas Græci Hæmorrhagias duxerunt appell-

appellandas, hæ ut ut familiarissimæ sint, nihil ominus circa ejus genesin ac causas, ingentes difficultates ac dubia occurunt, quæ neutiquam vulgari explicandi methodo dilui ac explicari poterunt. Instructus itaque sufficienti doctrinâ principiorum mechanicorum ab Excellentissimo Dn. Preside in præsentiarum loco specimenis in augutalis tentabo, ingenium meum circa hæc exercendo, quo usque in genuinis hæmorrhagijs causis ac phænomenorum rationibus reddendis progredi liceat. Quibus conatibus ut Aeternum Numen prosperrimos largiatur successus devoutissima mente precor.

### §. II.

Ut autem scopum nostrum ad votum attingamus, res poseere videtur, primum omnium paucis ea, repetere atque afferre, quæ contingere circa hoc affectu laborantes, quoad diversa phænomena ac circumstantias, observata fuerunt; ut sic exquisitus hæmorrhagijs historicâ cognitione perspectâ, felicorem in eruendis causis faciamus progressum. Primum autem erumpere solet sanguis ordinarie ex illis locis, quæ texitura gaudent teneriori ac rariori, per quam nimirum vasa tenuissima undiquaque dispersa serpunt, nec firmis membranis circumtensta latitant, sed potius in superficie morantur: Quo privilegio maxime gaudent interior narium pars, bronchia pulmonum, ventriculi & intestinorum capacitas, caro gingivarum, recti intestini extremitates, interior uteri & vaginæ substantia, viæ urinariae, per quas dictas partes sanguis ordinarie, diductis & nimium apertis vel ruptis vasis, prorumpere solet. Extraordinarie quandoque natura tam potens est, sicutiudem observationes faciunt, ut per insuetas vias, per quas

alias naturaliter in tali angustia sanguis non exit, sepe copiose exoneret. Ita per minimum digitum sanguinem excretum vidit *Salmutb*, Cent. III. obs. 36. Ex genu & manu profilientem menstruum in foemina observavit *Bartholin.* obs. anat. I. Histor. 30. Ex mammis saltu eundem prodeuntem memorat *Panoroll.* Pentec. 4. obs. 15. Item *Amatus* Cent. II. obs. 24. Plura exempla rarissimorum haemorrhagiarum vid. in *Hoffmanni methodo medendi* p. 211. 251.

### §. III.

Deinde sanguinis eruptio in primis solennis ac familiaris esse solet Plethoricis, qui superfluo, quam digerere & capere vasa queunt, gaudent sanguine, uti gravidis & qui evacuationes sanguinis ordinarias suppressas habent; nec minus illis qui sanguine oleoso tenui fluido calido gaudent, habitusque corporis mollieris & spongiosioris sunt, & vulgo sanguinei dicuntur, sanguis e naribus potissimum stillare solet. Cholerici qui venas fovent latores, & strictiorem corporis habitum possident & salino sulphureo mobili sanguine gaudent, itidem saepius sanguinis fluxu afficiuntur praeципue ex internis partibus, nimirum ex venis pulmonum aut ventriculi, uti observationes testantur, promanante. Quibus sanguis exsuperans & crassitie peccans in venis est, vulgo sanguineo Melancholici audiunt, iis maxime aetate correspondente, frequentior solet esse fluxus haemorrhoidalis. Summatim autem hic tenendum, haemorrhagias magis adoriri illas personas, quae alacritate ingenii & Spirituum mobilitate ac partium sensibilitate alios antecellunt, quam phlegmaticas senioris actorpidioris indolis. Memoratu quoque dignum est, excretionum sanguinearum diversas species diversis ordinatione

rie contingere ætatibus, sapientissimo Hippocrate jam dudum id recte notante, vid. Sect. 3. aphor. 27. 29. 30. Videlicet pueri & adolescentes sanguinis profluviū potissimum patiuntur enaribus, rarius vel plane nunquam e pulmonibus, in juvenibus exitum suum crux maxime molitur per pulmonum vasa unde hæmophthisis & exinde profluens phthisis huic ætati familiarissima. Viri & qui in vergente ætate constituti sunt, per sedis venas vel etiam urinarias magis evacuantur, consentiente ubivis experientia. Porro, quavis ferme anni tempestate hæmorrhagiae infestant corpora, ita tamen ut vere ac ætate nares sanguine stillare magis soleant, autumno autem & hyeme hæmophthises, vomitiones, sanguineæque mixtiones nec non apoplexiæ sanguineæ exrupto arterioso in cerebro vase lubentius grassetur. Dignum autem notatu est, nonnullis individuis contingere has sanguinis excretiones certis temporum periodis, ita ut recurrente eodem anni vel mensis tempore solenniter repeteret soleant, nisi ipsas convenientibus remedis sanguinisque missione aut alia vivendi ratione antevertamus.

#### §. IV.

Deinceps quotidiana confirmatur experientia, omnia illa, quæ sanguinem tenuem ac mobilem reddunt ejusque texturam laxant, ipsumque concitatori motu exigitant, promptissime progignere hæmorrhagias, exemplo validioris & vehementioris corporis motus, balneorum & thermarum usus. Confer: Plater. lib. III. Observ. p. 238. & Hæfer. de Med. p. 231. Willifus Pharm. ration. p. 86. Quantum acria, spirituosa, falsa tam loco alimentorum quam medicamentorum assumta, item familia volatilia oleosa aloetica purgantia noceant illis, qui hæ-

morr-

morrhagiis subjecti sunt , & quam facile hunc affectum provocare queant, nemo nisi praxeos ignarus negare poterit. Par ratione quib⁹ sanguis in receptaculis suis vehementissima intestina motione agitatur, ut in variolosis & febre ardente laborantib⁹ id evenit, ii nimis sanguinis profluviis subjectissimi esse solent, quæ interdum salutem , interdum etiam maximum periculum afferre consuescunt. Identidem effrenibus hæmorrhagiis ansam dat sæpiissime præposterus atque immoderatus pathematum animi usus , inque primis vehemens exandescens & terror, taliter differentia, ut illa in partibus externis magis provocet, hic in interioribus suscitet sanguinis effusiones.

§. V.

Subjecta quæ hoc sanguinis affectu exerceri solent, ut plurimum sunt Hypochondriaci & conqueruntur de flatibus, anxietatibus circa præcordia, dolore ac tensione hypochondriorum & cæteris, quæ comitari solent digestionis vitia, symptomatibus , vel etiam cachectici sunt & ad hydropem inclinant ac sæpe numero colore faciei pallidum habent , viscera infarcta, lienem tamefactum , jecur scirrhosum. Quam in sententiæ partem accedit quoque , *Fernelius meth. med. p. 14.* Quando ibi scribit : Quibus viscera & jecur imbecillum & scirrhosum evadit, illis sæpe sanguis è naribus fluit , non secus ac hydropicis. Id quod confirmat quoque , *Heurnius in Aphor. Hipp. p. 191.* inquiens : Quibus facies colore subviridi suffusa est hepate laborant , & signum est jam adfuturi hydropsis frequens in iis cruoris pernares effusio. Ex inflammatione notabiliori viscerum non raro prodeunt sanguineæ excretiones, sic à pulmonis vel pleuræ inflammatione sanguinis per tussim rejeccio

jectio pendet. Ex inflammato hepate hæmophthisin  
fibortam notavit Hoffmannus Meth. Med. p. 330. In iis qui  
ex calculo vel renum inflammatione moriuntur, hæ-  
morrhagiae largissimæ conspiciuntur. Ex hepatis ob-  
structione indeque redundant ictero nigro lethalis suc-  
crevit hæmorrhagia narium, prout videre est in Mis-  
cell. Curios. Decad. II. Anno 2. p. 218. Hæmorrhoides hy-  
pochondriacorum, qui infarcta à rudi & crasso sanguine  
infimi ventris recondunt viscera, symptoma esse,  
res omnis dubii expers est. Ulterius passim experi-  
mento frequenti perdoceatur, à tumore insigniori ex-  
tero partis cujusdam inflammatorio, cancrum vel et-  
iam sphacelum minante, item à fortiori laesione vel  
contusione membra, ejusdemque luxatione, vel ab  
inflicto vulnere, vasorum dilaceratione, dependere sa-  
piens, nisi mature succurramus per venæ sectionem, in  
compescibiles hæmorrhagias; quod itidem evenire so-  
let, si membra cujusdam corporis eximioris v. g. pedis  
vel manus abscissio prægressa fuerit. Optime annota-  
vit Hildanus lib. de dys. c. i. quod sanguineus alvi fluxus  
in illis, quibus membrum aliquod abscissum est, prove-  
niat.

## §. VI

Tandem notabile est, ubiunque in parte qua-  
dam plus solito sanguis prorumpere gestit, in hac prius  
observari quædam singularia pathemata. Ita è naribus  
profluivit prænunciat caput pulsans & distentum, faci-  
et totius oculorum præprimis, item narium ac malarum  
plus justior rubedo ac calor, nec non gravis &  
exardescens quoque capitis dolor. Ante sanguinis per  
uterum fluxionem tensio circa hypochondria, dolor  
dorsi & lumborum, lassitudo corporis, &c. in cute con-

B

stri-

strictio quædam cum horripilationis sensu facieque pallida accidit. In dejectionibus per alvum cruentis cutem aridam & rigoris sensu affectam, inque interioribus abdominis partibus cum primis intestinis sœvis simum spasmum ac tensionem persentiant ægrotantes. In vomitu cruento frequentissime dolor, ardor, tensio ac pulsus circa hypochondrium sinistrum percipitur. In hæmophthicis anxietas præcordiorum, spirandi angustia, dolor gravatus circa diaphragma vel etiam tensio, & motus spasmodicus in abdomen sentitur. Quod si hæmorrhagias præmature vel nimis citato aut alimentis acidis incrassantibus aut remediis adstringentibus, opiatibus, vel etiam externis cohibeamus & supprimamus, pernitiosa nonnunquam symptomata insequi solent. Post hæmorrhagiam narium præpostere suppressam angustiæ & anxietates circa pectus ad suffocationem usque, respiratio citata, in pueris, asthma, cephalalgiae succrescent, in adultioribus apoplecticum paroxysmum, sangvine extra vas in cerebri cancellis reperto, facilissimo negotio excitare valent. Hæmorrhoides ordinarie fluentes à causa quadam si intercipiuntur miętum cruentum, tumorem lienis, inflammationem renum, ulcus vesicæ, spasmum circa hypochondria, ischiatidem sangvineam, hydropem parere solent, consentiente ubivis experientia. Menses ex quaenque causa suppressi, palpitationem cordi, pectori angustiam, præcordiis anxietatem, corpori lassitudinem, hypochondriis dolorem gravativum inducere solent. Ultimo loco tenendum hoc est, violentas has sangvinis eruptiones nunquam radicitus sanari sed semper recurrere vel periculosiora alia mala ulterius cauſari, si solis adstringentibus, incrassantibus, opiatibus, acidis, cu-

curam perficere velimus, nisi evacuantibus, deobstru-  
entibus martialibus & traumaticis convenientibus il-  
lam tentemus.

§. VII.

Traditis sic & enumeratis omnibus quæ ad ac-  
curatam historicam hæmorrhagiarum cognitionem  
sufficere videntur requisitis, è re fore existimo pro me-  
liori causarum indagine per pauca saltim ex physiolo-  
gicis præmonere atque repetere. Scilicet pro certo  
ac rato habendum est, ad vitam & sanitatem efficien-  
dam requiri jugem ac circularem sanguinis motionem  
non tantum per ductus corporis majores verum et-  
iam capillares ac minutissimos. Secundo, vasa san-  
gvinem vehentia inter se connexa ac copulata sunt, ita,  
ut venæ nihil aliud sint, quam arteriæ continuatæ, deinde  
ex tunicis arteriolarum formantur quoque tubuli suc-  
cum saltim nutritium à sanguine in substantiam par-  
tium carnearum derivantes, nec non illi, qui lympham  
ex partibus revehere solent. Tertio pulmones, hepar,  
lien non nisi congeries sunt innumerorum vasculorum  
tam arteriosorum quam venosorum aliorumque, ex qui-  
bus deinde glandulæ quæ nil nisi curvaturæ arteriolarum  
sunt, vasaque lymphatica & alii ductus excretorii enas-  
cuntur. Quarto in venis angustioribus & minoribus  
impeditior sanguinis motus est, in majoribus liberior &  
facilius. Quinto structura fibrarum, quibus partes so-  
lidæ constant, illarumque vigor ac tonus a spirituum  
elatere dependens magnum contribuit symbolum ad  
circulationem sanguinis per venas promovendam,  
hinc si debilitatus & labefactatus est, difficilis sanguinis  
fit circuitus. Sexto sanguinei & pueri habitum cor-  
poris ac partium rarum laxum ac porosum ha-  
bent,

bent, per quem multæ angustæ venæ transeunt, cholericí autem & melancholici item iuvenes & viri strictiore ac arctiore prædicti sunt partium solidarum strictura, & venas possident capaciores & ampliores. Septimo ab externo frigore item à terrore, tristitia habitus corporis exterius magis constringitur, sub aëre autem calido & humido magis relaxatur. Octavo impetus motus ac fluiditas sanguinis dependet maxime à copia partium sulphurearum volatilium ætherearum sanguini inexistentium, nec non ab aëre calido & validiore cordis impulsu. Nono, constat ex hydraulicis, quando aqua fluit ex uno canale in quinque vel sex alios canaliculos, & primò æquabilis per omnes fit motus, quod, duobus obstructis vel obturatis vis ac impetus aquæ in coeteros patentes incumbat & aquam longè vehementius ac anteactum propellat.

### §. VIII.

Ex hisce jam adductis ac invicem collatis liquidissime constare arbitror, hæmorrhagias enormes, quibus cunque eriam in locis fiant, non proficisci vel pendere ex sanguinis orgasmo turgescientia vel nimia rarefactione ut ob id exitum per vasa affectet. Etenim sanguis universus à copia particularum mobilium sulphurearum turgidior factus qua ratione saltim in unam partem impetum suum exerat, ibique coacervetur, atque colligatur, quod semper in hæmorrhagia certæ partis accedit, penitus obscurum & intellectu difficillimum est, & sequeretur potius si sanguis rarefactus causa esset hæmorrhagiæ, quod in omnibus partibus ubi vasa facile hiare atque referari possunt, simul contingant effusiones sanguinis, quoniam ubivis æqualis venarum esset dilatatio atque expansio, quod autem minime accedit,

dit, adeoque potius illa ratio perscrutanda remanet, quæ efficit collectionem & coacervationem sanguinis certa tantum in parte. Deinde quoque falsum est, in haemorrhagiis ora atque orificia vasorum per partium extremitates dispersa nimium saltem hiare aperiri atque researi; Nam vero perpetua connexio arteriarum atque venarum in corpore est, ita ut secundum naturam nunquam sanguis extra vasorum & receptacula sua sit. Sique sine intima copula venarum arteriæ adstent partibus, frequentissimæ essent extravasationes sanguinis, obstrunctiones, inflammations atque nimiae effusiones, quæ tamen rarius eveniunt, nec enim facile apparet, quo pacto sanguis extravasatus minima orificia venarum capillarium, quæ facillime subsidere queunt, ingredi posset, præcipue si à frigido aëre coagularetur.

### §. IX.

Porro etiam ex his jam dictis & ulterius dicendis conficitur, in haemorrhagiis minime locum habere a veteribus tantopere accusatam diarrhoeam sive excretionem & erosionem vasorum sanguinem capientium. Etenim tantam acredinem causticam delitescere in sanguine, ut solidas partes exedat atque consumat, non credibile est, nam partes salinæ etiam ad acredinem usque in sanguine sub jugo tenentur oleosi & ramosi principii, & postea à sanguinis consortio illas jam esse separatas facilius tunc inducerent ulceræ, quam haemorrhagias, quæ saltini certo tempore invadant, quod non posset fieri, sed sanguis continuo exstallare deberet si ob vasis sanguiflui erosionem & dilacerationem contingenteret sanguinis effusio; Accedit, quod difficillimum conceptu sit, quare saltem salia illa caustica unam partem aggrediantur, non

autem plures simul in corpore, sive compluribus in locis istae effusiones fierent: necesse est: Addimus, quod scorbuticis & lue venera affectis, qui sanguinem sat potenter causticum alunt, perpetuae ac propriæ essent hæmorrhagiæ, quod tamen rarius evenit. Denique etiam pars exesa ac corrosa non tam citò consolidari ac sanari potest: notum autem est, fluxum sanguinis crassissimi unica V. S. vel paregorico remedio aut solo terrore incusso quandoque sisti.

Præter hæc veteres adhuc in sanguinis eruptione præternaturali culparunt nimiam vasorum sanguisfluorum laxitatem & tenuitatem, quasi per poros vasorum sanguinis tenuior relicto crassiore exsudet, verum qua ratione in hæmorrhagiis talis modus locum inveniat non video, etenim ex tunicis admodum firmis constructa vasa sanguinis sunt, quæ non facile vapore, tantum abest humor, transitum concedunt, neque concipiendum, quidnam & quare saltim in certa parte causetur hanc laxitatem pororum, reliquis poris partium salvis. Cæterum & pauca revera esset materia & lento gradu procederet, quæ sic debebat separari. Plurimi tam ex recentioribus quam ex veteribus ex plenitudine ac sanguinis exsuperantia inordinatas has sanguinis excretiones dicunt atque derivant, verum nec mihi satisfacere videntur: Evidem non dissimulamus, sanguinem ceu humor em utilissimum ad auctorinem & nutritionem in otiosis & multum comedentibus plus justo generari atque accumulari posse, illumque saepius maximum conferre symbolum ad productionem hæmorrhagiarum, maxime si cacochymia, quæ presso pede plenitudinem insequi solet, simul immisceatur. Utrum autem

autem sanguinis exundantia sola in se considerata,  
æqualiter omnia vasa ac vias corporis premens in  
certa saltim parte tantam congestionem cum  
tumore & dolore conjunctam, quæ individuus hæ-  
morrhagiarum comes est, fuscitare queat, minime per-  
cipio. At copiam & redundantiam humorum non ge-  
nuinam atque immediatam fluxionis sanguineæ causam  
constituere, arguunt illi, qui paucum sanguinem conti-  
nent, nihilominus subinde hæmorrhagiæ corripi solent,  
neque illam antevertere possunt, quamvis matura san-  
gvinis missione vasa depleantur.

§. XI.  
Quidam animadvententes periodicam in hæmor-  
hagiis revertendi rationem, existimarunt, non commo-  
dius illas explicari posse, quam per fermenti singularis  
vim atque activitatem, dum in partium solidarum  
tubulo delitescens certo tempore certoque æthe-  
ris influxu excitatum in sanguinem agit, ipsumque va-  
ria commotione exagit. Verum ut perplexa hæc fer-  
mentorum morbificorum doctrina mera fictitia est, &  
illorum, qui vera principia nesciunt & nunquam illa edo-  
cti sunt, asylum, sic nec hic locum invenit. Quis enim  
concipere potest, qua ratione fermentum summe a quo-  
sum sine actione tamen quietum, salva tamen manente  
ejus textura in parte quadam solida, quæ jugi ac perenni  
transfluxu materiæ fluidæ perfunditur, hærere & certo  
saltim tempore in motum morbosum excitari queat.  
Taceo alia quæ in nostro negotio minime explicari que-  
unt. Conferatur de hac re *Diss. de Ferm. morbis. sub Excell. Dn. Praeside babita.* Tandem nec illi admittendi sunt, qui in  
naturalibus avtomaticis & à solo mechanismo depen-  
denteribus & ex necessitate quadam furgentibus machi-  
næ nostræ actionibus ens libere dirigens motus san-  
gvinis

gvinis certū in finem & ad certas partes afferunt. Etenim contra analogiam rationis est, aliquid statuere quod iniuste, quatenus cum re ipsa cohæreat, mens sana concipere potest, neque statim confugere ad rem plane absonam à ratione debemus, si explicatio phænomenorum per possibilia principia non mox suggerat, vel ob sensum & intellectus nostri imbecillitatem ex claris principiis deduci nequeat.

S. XII.

Ad examinis incudem sic revocatis variis præpostere ratiocinantum sententiis nunc exponendum erit, quænam genuina origo ac genesis sanguinei profluvii in corpore nostro sit. Itaque sic censeo: hæmorrhagiarum causam immediatam & continentem motum esse sanguinis liberiorem in circulatione sua impeditum, quando enim sanguinis circulationi maxime in venis, per quas lentius propter perpendicularē situm nec non impetum sanguinis cessantem, & elaterē langvidiorem circulatur, obex ponitur, ut minus connode per illas redire, atque transfluere queat, regurgitat sic in vias patentes, quas accedente impetu sanguinis à tergo mirum copia sua distendit tandemque perrumpit, sicque lernam hanc producit. Viderimus id in hydraulicis, ubi obstructo uno canale in alios apertos vis aquæ incumbit, per quos non tantum fortius fluit, verum etiam quandoque vi & violencia illos disrumpit. Vasa autem quæ præter naturam aperiuntur, mea sententia non saltim arteriarum sed & venarum extremitates esse possunt. Naturaliter arteriæ sanguini advehendo ad partes, venæ autem ipsi revehendo dicatae sunt. Verum enim verosecus hic obtinet in statu qui est præternaturalis, nam opus non est ut sanguinis effluxus ita contingat, sicuti affluxus ad partem

extremam.

tes naturalis per arterias, & huic meæ sententiæ patro-  
cinatur quoque *Vesalius Anatomes usi præstans. lib. V. de  
Fabrici corp. human. cap. 15.* qui hominem dissecuit, defun-  
ctum ex nigro arquato jecorisque mira duritie, quiue  
sangvinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari  
confrevit, invenit ramum venæ portæ sub colo intestini  
fine & tota recti longitudine in mesenterio ductum pol-  
licis fere crassitatem æquare & sanguine turgere, conter-  
minis davae venæ ramis nihil prorsus immutatis. In  
vomitu cruento ex vasis brevibus sanguinem manasse  
in ventriculi sinum, & hic nuperima sectione observa-  
tum fuit, liene reperto à sanguine infarto & hepate  
scirrhofo. Tandem etiam venulae tenuiori tunica con-  
stant quæ facili negotio distenditur atque laceratur, ut ut  
non negemus illud quoque in arteriolis capillaribus, quæ  
& distendi & disrumpi possunt fieri posse.

### §. XIII.

Impeditur autem sanguinis æquabilis & liberior,  
per venas motio, si vel nimium infarcta atque obstrua-  
tæ à crassa amurca sint in membro vel parte corporis  
notabiliore, ubi multæ vasorum ramifications; vel li-  
ber sanguinis circulus supprimitur per partem ob tumo-  
rem vel inflammationem, contusionem, læsionem aut  
spasmodicam quandam constrictionem. Adeoque  
obscura amplius ratio esse non potest, quamobrem qui  
diurnis hæmorrhagiis vexantur, ut plurimum sint hy-  
pochondriaci vel obstructa & imbecillia ob tonum labefactatum  
viscera, in primis liene, hepar, pancreas, me-  
senterium, habeant. Declarant id maxime sectiones ca-  
daverum, quarum leviter quasdam attigisse sufficiat. Sic  
**in hæmoptico** dissesto latus sinistrum pulmonis à tumo-

C

re

re scirrhoso obsessum vidit. *Willis.* in *Pharmac. p. 90.*  
Ita etiam in hæmoptico reperti fuerunt pulmones copiofissima materia argillacea per totum obsiti, & ventriculi dextri auricula insignis magnitudinis *vid. Miscell. Natur. Curios. Decad. 2. anno 6. obſerv. 217. Blancardus in Anat. practic. obſ. 46.* lienem tumentem & vasa mesenterii atque omenti sanguine infarcta invenit. In vomitu cruento demortuo hepar durum & scirrhosum, lien quoque tumidus & sanguine impletus repertus fuit *vid. Blancard. l.c. obſ. 23, item obſerv. 32. Item Wedel. in Amoenitat medic. Barthol. in hist. anatomi. p. 249. It. Miscell. Curios. Dec. 2. anno 4. obſ. 86.* Eadem plane est ratio, cur spasmoidæ contractiones internarum partium, dolores & tensiones hypochondriorum ordinarie fere præcedere soleant sanguinis eruptiones. Notabilis circa hanc rem est historia, quæ exstat in *Miscell. Cur. Decad. 2.* Vir 30 annorum pallidæ faciei, de dolore gravativo ac æstu in hypochondriis transitorio tamen conqueritur, item respiratione difficiiliori, horripilatione, sanguinis parum ad aliquot mensuras per vomitum excrevit. Redit semper prægressis doloribus gravativis lateris sinistri, humores ad 24 & ultra excreti fuerunt: secto cadavere inventum fuit duodenum grumo sanguineo repletum, propter disruptionem vasorum mesentericorum, lien major fuit solito. Sic etiam vomitus cruentus factus fuit in autumno prægresso semper dolore summo in sinistro latere. *vid. Misc. Curios. dec. 2. a. 4. obſ. 88.* Ratio dictorum est, in omni dolore fibrarum musculosarum tensio spasmoidica quædam est, partis affectæ substantiam constringens & coarctans, unde liberior sanguinis & humorum circulus præpeditur per has partes, quibus præclusis majori impetu ac copia irruit in vicinas patentem quas nimi-

nimum distendit & distensione tandem aperit. Familiarissimum in praxi occurrit, impetuosa & vix ulla arte compescibiles suboriri hæmorrhagias præpostero affetuum animi usu, præcipue excandescentia animi & terrore, ubi notabile est, quod in terrore extimæ corporis partes fortiter spasmo constrictæ ad interiora magis sanguinem repellant, unde palpitatio cordis, præcordiorum angustia pulsus inæqualis, quæ nunquam non individui terroris subiti comites esse solent, oriuntur. Contra autem in iracundia sanguis magis ad peripheriam corporis movetur vehementi impetu, unde in procinctu est ratio, quare per insuetas & angustissimas vias sanguinem expulsum præcedente ira, referant historiæ, vid. Stalpart. von der Wiele Cent. 4. obs. 44. Æstate familiariores solent esse per nares vel uteri venas, hæmorrhagiæ, hyeme hæmophthises, vomitiones & mictiones cruentæ, item apoplexiæ sanguineæ, quæ mea sententia nihil aliud sunt, quam extravasationes sanguinis in cerebro, propter sanguiflui cuiusdam vasis ruptionem, ) quandoquidem frigus motu suo rectilineo partiumque rigiditate spiracula cutis condensat & substantiam externarum partium coarctat, unde recurrat & reprimitur sanguis ad cor vasque interna, ubi copia sua ac impetu, præsertim in illis, qui sanguine abundantiori gaudent, ex facile vasa distendere & rumpere potest. In æstate autem cum laxior, rarer & spongiosior sit habitus corporis, facilior quoque ibi stagnatio & congestio croris fieri potest. Eadem ratio mihi videtur, qua de causa pueris & adolescentibus magis nares stillent sanguine, in juvenili autem & virili ætate hæmophthises, in vergente mictiones cruentæ & hæmorrhoides frequenti⁹ accident., laxior enim in pueris extremorum substantia est, in ju-

venibus autem & viris strictior, hinc regurgitat magis  
sangvis ad interiora. Quod autem senes & hypo-  
chondriaci hæmorrhoidalí fluxū coripi soleant, vide-  
tur mihi causa, quod in his motus sanguinis propter len-  
torem & crassitatem ac spiritus ascentiæ defectum per vis-  
cera abdominis præcipue lienem hepar, mesenterium  
lentior sit ibique facile etiam ob venæ portæ structuram  
subsistat, actumida viscera reddat, unde qua data por-  
ta sive per renum sive per ani venas exitum affe-  
ctat.

§. XIV.

Et illud jam satis opinor perspicuum erit, qua de  
causa post graviorem membra contusionem, casum ab  
alto, luxationem, vulnus, tumorem inflammatorium  
vel etiam extirpationem tam frequentes proveniant,  
sanguinis per varias partes proruptiones, uti compluri-  
bus familiaribus historiis ostendere est. Cum enim san-  
gvis circulum aequaliter absolvere nequeat obice posita  
& præcluso debito in parte spatio, ejus vis ac impetus in  
alia vasa vicina apertaque incumbit, ex quibus capil-  
lamentis nimium dilatatis tandem exitum quærit. Posita  
sic impeditiori sanguinis per vias motione pro vera hæ-  
morrhagiarum causa, dubium hanc minimi momenti  
occurrit, quamobrem præsente continuâ causa nimium  
obstructione, non semper etiam hæmorrhagiae infestent  
sed saltim certo tempore & saepius stata periodo vel sal-  
tim post usum calidorum, vini, exercitationes & motum  
corporis vehementiorem solis fervorem, & ejusmodi  
generis alia. Dicimus itaque, sanguinem ordinarie in  
hypochondriacis & illis quibus viscera imbecillia sunt,  
non effundi nisi vel motu celeriori vel copia simul de-  
linquat. Si non superabundat sed placide movetur ci-  
tra

tra singularem congestionem in certa parte per corporis membra pervadere poterit, quando autem certo tempore de novo coacervatur vel ab interna, vel externa causa ad motum concitatum incitatur, ejus transfluxus impeditur sive regurgitans, affectum hunc de quo edifferimus, producit. Observamus frequenti experimento, sanos & quibus viscera salva sunt, à sola sanguinis exundantia vel tenuitate fluxum etiam sanguinis pati, quod eandem ob rationem accidit, quia copia sanguinis non libere per minutissimas venas circulari potest, partim quod nimia distensione elaterem viscerum atque vasorum labefactet, partim quod etiam ordinaria cacoquymia viscida inequatur plenitudinem. Quapropter hærens sanguis accumulatus circa sanguineaviscera, nimirum pulmones lienem, hepar (quæ ferme constant ex meris vasorum maxime sanguiferorum myriadibus membrana saltim circumtenis) liberum circulum impediens vel etiam naturam ad spasmus, qui quandoque etiam ex plenitudine fit, irritans, ad alias vias magno impetu cruentem pellit. Quo magis autem talis sanguis exundans in motum celerem agitatur, eo majus in libera sua circulatione impedimentum adipiscitur. Febris tam intermittentibus quam etiam acutis in malignis, variolis itidem morbillis & affectionibus spasmodicis libenter complicantur hæmorrhagiæ, quoniam à causa morbifica sæpius caustica corrosiva genus nervosum ac fibrosum vario modo irritatum & exagitatum sanguinem quaquam versum tumultuarie per alias vias celerrime, per alias tardissime, sive summa inæqualitate dimovet, unde non potest non fieri, quin inæquabilis sanguinis circulus per vasa inæquales etiam in partibus faciat congestiones, dum aliquæ deplentur aliæ

C 3

autem

autem cruento replentur atque infaciuntur. Quinimo  
sola sanguinis in motu celeritas velificatur quam oppor-  
tune generando affectui nostro. Compertum est ex  
hydraulicis mechanicis, quod si aqua per canales sensim  
ac sensim angustiores fluere debet atque uno impetu  
infunditur, animadvertisatur quod non tam subito possit  
anfractus canaliculi subire; quin regurgitet & quandam  
tenus in motu suo impediaitur. Quanto igitur magis  
hoc in humano corpore fieri poterit, in quo canaliculum  
reperiuntur myriades, quorum interior cavitas hoc illo  
est amplior in illis angustior.

S. XV.

Ex dilucidatis sic genuinis haemorrhagiarum cau-  
sis facile jam prognosio ratio & medendi cura emergit,  
Scite ait Hippocr. lib. de Flatib. Qui causas affectuum pro-  
be cognoscit, potest valde ea afferre, quae corpori profun-  
do ad prognosin, semper periculofior censenda haec flu-  
xio, quo magis est interna & viscus nobilis ideoque haem-  
orrhagia faciliter producit phthisin, mictus cruentus  
calculum aut nephritis item vesicæ inflammationem,  
cruenta vomitio tabem atque hydroponem quod et-  
iam valet de nimio haemorrhodium & mensium fluxu.  
Secundo, quo majori in copia sanguis vitæ fons profun-  
ditur inque parvo temporis puncto ingens copia, eo gra-  
vior laesio & vasis majoris dilaceratio in culpa est. Ter-  
tio quo vires magis fluxus prosternit, eo censendus peri-  
culofior. Salutaris ille est, qui sanguinem superfluum  
(præsertim ob suppressam consuetam evacuationem re-  
dundantem) debita in quantitate evacuat & cum eupho-  
ria conjungitur, periculofus si sanguis non adeo abun-  
dat & nimius fluxus est. In morbis malignis enormis  
& vix coercibilis haemorrhagia ingens minatur pericu-  
lum.

lum. **Quinto**, s<sup>e</sup>pius repetentes hæmorrhagia<sup>e</sup> indicant labem & imbecillitatem viscerum & quo plus sanguinis effunditur eo imbecillitas hæc majora accipit incrementa, & morbos producit rebelles chronicos.

§. XVI.

In curatione autem caput est, ut ipso in paroxysmo si nimium excesserit sanguinis eruptio, sistatur quantum possibile maxime derivato fluxionis impetu in alias partes. Plurimi Practicorum à venæ incisione curandi & sistendi hæmorrhagias auspiciū petunt, putantes: detracto sic sanguine, per venam lateris oppositi, minorem illius copiam & minori velocitate in partem laborantem fluere, sicque locum contractioni affectæ partis concedi, ideoque si menses vel hæmorrhoides fluunt, venam in manu incidendam præcipiunt, in hæmophthisi autem & narium hæmorrhagia, in pede venæ sectionem celebrant. Quamvis autem ab hoc remedio plenaria causæ remotio & obstructionis solutio expectanda haud sit, remittit tamen impetus sanguinis ad partem, ipseque fluxus ad tempus, ut deinde remediata<sup>m</sup> extēna quam interna eō feliciorē possint locare operam. Præterea etiam si redundantia sanguinis occasionem huic affectui subministret, matura instituta V.S. antevertere ipsum poterit. Præter venæ sectionem conferunt etiam balnea, pédiluvia, vel immisiones manuum in aquam vel vinum calidum. Notabile est, quando sanguis impetuose effluit ex partibus inferioribus, fluxionem hanc opportune fisti posse per manuum immisionem in aquam vel vinum calidum, quod si ē naribus fortius erumpit pédiluvium impetum fluxionis felicius cohíbere solet. Atque hæc causa esse videtur, quoniam aqua

calore

calore ac humiditate sua substantiam cutis tubulosam & fibrosam mirum relaxat, unde major copia sanguinis in hanc partem magis spongiosam redditam quam ordinarie solet, infunditur, adeoque turgescens nejus exoritur, itaque decrescit impetus ad partem laborantem, sicque non sine ratione veteres revulsionem optimum proruptentis sanguinis esse remedium firmiter crediderunt. Similij ex fundamento fluit applicatio cunctibularum sine scarificatione hypochondriorum regioni. *Amatus Lusitanus Cent. 2. Curat. 100.* refert se mediante cunctibulari splenis regioni admota intensissimam saepius sedasse haemorrhagiam, & sic vera revulsio sanguinis, sive per venæ apertione sive per ejus invitationem in alia loca fiat, nimiam sanguinis fluxionem sistere vel impendentem arcere poterit. Etenim revulsio fundamentum habet in hydraulicis, nam data alibi porta aquæ minor sit effluxus, de qua refusus videri potest. *Bellinus in Tract. de sanguinis missione.*

**S. XVII.**

Restat jam ut paulo penitus excutiamus, quid de illo haemorrhagias sistendi modo statuerit, cum plurimi practicorum in frequenti usu habeant epithema ipso in paroxysmo frigidum ex aceto, bolo succo sempervivi, alumine spermate ranarum, testibus interdum nuchæ vel etiam mammis pedibus nonnunquam etiam hepatis regioni applicare, qua ratione desieratas haemorrhagias mirabiliter compesci posse sibi persvasum habent. Alii ex improviso fusionem aquæ frigidæ in nucham commendant. Et quoniam experientia saepius correspondere solet, de indaganda ratione solliciti ut simus, opus erit. *Ratio videtur haec esse: Quod ejusmo-*

**di**

di actu & potentia frigida locis nervosis & membranosis & quæ eximio pollent sensu applicata spasmo quodam afficiant ac constringant has partes, unde tota cutis textura glanduloso tubulata ac nervea in consensum tracta similiter coarctatur, sub quo coarctationis actu ipsa vasa aperta partim clauduntur, partim etiam uberior sanguinis in extremis partibus congestio præpeditur. Verum enim vero duo maxime circa horum applicacionem notanda veniunt. Primum ut personæ, quibus hæc remedia adhiberi debeant cum effectu, tenerioris ac sensibilioris sint indolis. Secundo, ut non nisi quando ex partibus externis, uti ex ano, naribus, utero sanguinis effunditur, minime autem quando ex sinu ventriculi, pulmonibus aut renibus promanat, usurpentur alias impedito sanguinis influxu per constrictiōnem in partes externas sanguinis majori impetu regurgitat, & reprimitur in vasa corporis interiora, quæ distensione ulterius aperit, & graviorem effusionem efficit. Sic Horstius *lib. 4. Obs. 46.* notabile habet exemplum, quod ex tali epithemate regioni hepatis applicato suppressa quidem fuerit narium hæmorrhagia, sed insecura diarrhoea biliosa. Tandem etiam cavendum, ne, quando ex abundantia sanguinis hæmorrhagia sit, & nondum sufficiens effluxit, in usum vocemis illud remedium. Ex hisce jam dieti confici potest ratio, quare in extremitatibus excitati graves dolores, terrores, lipothymiae sistere soleant sanguinis fluxum nimium per nares, uterum. Vulgo solet ligatura dolorosa in minimis digitis, item illorum incurvatio commendari, quæ omnia juvant, quatenus extrema spasmo constricta à superficie corporis ad interiora fortiter sanguinem reprimunt.

D

§. XVIII.

### §. XVIII.

Quæstio jam oritur, quid de stypticorum externorum usu in sistendo sanguinis nimio profluvio ex naribus, utero, vel aliis partibus fentiendum sit? Notum est, hunc in finem commendari varia, quæ efficaciam suam satis prompte nonnunquam exerere solent v. g. caput, mortuum vitrioli, sanguis draconis cum spiritu vitrioli mixtus, pulvis colophonæ cum succo plantaginis, sal ex capite mortuo florum salis ammoniaci martialium in aëre in liquorem redactum, vitriolum Cypreum: Quæ omnia partim sanguini firmum ac stabile coagulum inducunt, partim etiam poros parietum coarctant & constringunt. Horum omnium usus cautissimus esse debet. Talia enim adhibere nunquam convenit, si nimia ad partem affectam sit sanguinis congestio, vel nondum satis effluxum. Nihil enim efficimus, quam ut vi sanguinem cohibendo ipsum in vicinas partes majori cum periculo impellamus. Sic nihil solet esse familiarius, quam, si nimis cito sanguinem fistimus e naribus fluentem, ut ipsum repellamus ad pulmones & asperam arteriam, ubi asthma suffocationis metum non raro inducit. Henricus ab Heer obs. 5. notabilem assert historiam, ubi hæmorrhagia narium externis cohibita, mox tota facies in magnam molem surrexit, ac sensu & motu privata fuit, faucibus & aspera arteria sanguine grumoso repletis. Menses fluentes externis præpostere cohibiti, palpitationem cordis, respirandi difficultatem, laffitudinem corporis gravativam, dolorem in lumbis excitant. Non semel notavit Dn. Præses ab hæmorrhagia narium consveta intempestive externis suppressa exortam fuisse sanguineam & lethalem apoplexiā, Præ aliis etiam arguento esse potest sanguis hæ-

hæmorrhoidalis, qui si certo tempore conservit evacuari, postmodum à causa externa sistitur, inflammationem renum, vesicæ, mictum cruentum, vomitum, ac sputum sangvineum producere aptus est. Hinc notanter dicit *Mayerne in Praxi p. 314.* Si supprimuntur hæmorrhoides adstringentibus, refluxus fit sanguinis ad partes nobiliores, unde phthisis, hydrops, cancer, mania, epilepsia.

### §. XIX.

Tandem in cura respiciendum maxime est ad causam, quæ ut plurimum est spasmus partium internarum & locum potissimum invenit, paroxysmis periodicis, vel a præpostero affectu animi v. gr. excandescens, nimio dolore subortis hæmorrhagijs. Tali in casu paregorica blanda motum concitatum sanguinis & spirituum componentia, commendata sibi habeat medicus. Ex horum censu laudem insignem merentur papaveracea omnia, aqua paparis rhæados ejus essentia ex succo recenti & spiritu vini rectificatissimo parata, emulsio ex semine papaveris, opiate; & ex his eminent maxime laudanum, methodo Sydenhanii paratum, item per fermentationem Langelotti, trochesi alkekengi, qui ex opio, papavere, semine hyoscyami & croco suam habent virtutem, diacodium Montani, massa pilularum de cynoglossa, quæ tam in forma pilularum quam pulveris exhibita in omnibus hæmorrhagijs effectum spondet excellentissimum. Referri huc debet opium correctum miscela purgantium, ut illud accidit in pilulis *Wildeansi* & pilulis *Matthie*, quæ omnia optime misceri possunt cum nitro, quod certe in omnibus præter naturalibus sanguinis effluxionibus præsentissi-

mi effectus est ; utpote sulphur sanguinis nimis exal-  
tatum enervat &c figit, obstructiones aperit, serumque  
fluxile reddit, & alvum servat apertam, ut maxime in  
haemorrhagiis utile atque proficuum sit ; quapropter  
opiata cum nitrofis mixta cæteris paribus ipso in pa-  
roxysmo indicatissima sunt. Propinari possunt in forma  
liquida cum aquis diluentibus, antispasmodicis, ut expe-  
ditior fiat operatio. Quod si biliosa acredo tam in pri-  
mis viis , quam in massa etiam sanguinis in quantitate  
peccet : omnia illa quæcunque acres sulphureas partes  
obtundunt, sae tenue incrassant in usum vocanda veni-  
unt, cuius generis sunt terrea , uti terra sigillata, bolus  
Armeniae, haematites, corallia, quæ cum aqua plantagi-  
nis, primulæ veris, papaveris rhæados, portulacæ quam  
commodissime exhiberi queunt , addito pauxillo nitri.  
Quod si impetus fluxionis maximus periculū præsens vi-  
tæ indicet, nonnulli ad ipsa styptica confugere solent, qua-  
lia sunt tintura lapidis haematitis, liquor martialis, qui  
ex capite mortuo florū salis amoniaci paratur, vitriolum à  
confortio venereo liberatum, pulveres varii styptici, quæ  
omnia partim sanguinem incrassando ac condensando,  
partim etiam fibras vasorum sanguineorum ac parti-  
um solidarum tonum constringendo, non raro divinam  
afferunt opem. Ubi tamen notandum, quod extra pa-  
roxysmum adstringentia, opiata, terrea, aliaque sanguini-  
mem incrassantia, si malum ab obstructione viscerum  
proveniat, summe sint pernitosæ. Magis hic conferunt  
terrea, quæ obstrunctiones internarum partium solvunt  
& hypochondria ab infarctu sanguinis ac humorum libe-  
rant, cui scopo inserviunt blanda laxantia, quæ primas vi-  
as a faburra biliosa deplent. Recte scribit Sydenham pag.  
96. nisi purgantia accedant, facile fit recidiva. Rondele-  
tius

tius curavit quendum singulis diebus duas vel tres libras  
sangvinis excernentem solis syrups ferosos humores e-  
vacuantibus. Nos infusa ex tamarindis, foliis sennæ  
rhabarbaro, nitro, tartaro tartarisato confecta magno-  
pere commendamus. Etenim in quacunque hæ-  
morrhagia alvum servare apertam sive extra paroxys-  
mum sive intra paroxysmum summe proficuum est.  
In ipso paroxysmo clysteres ex usu esse possunt. Sunt  
nonnulli Practici, qui vomitoria admodum laudant ad  
præservationem, vid: *Henr. Petreus* *dissert.* 47. & *Rive-  
rius* *libr.* 9. c. 3. quod tamen non valet in sangvinis vomi-  
tu vel hæmoptysi, sed potius in nimio mensium  
fluxu.

### §.XX.

Inter omnia radicem enormium hæmorrhagia-  
rum egregie præscindunt martalia, dum acidum ob-  
structionum elementum absunt, actonum & robur  
fibris vasorum nimium laxatis ac debilitatis ad-  
dunt atque fœnerant, sique contentos humores in mo-  
tum celeriorem cident atque urgent. Commendatissima  
autem hic sunt martalia pure sibi relicta, uti limatura  
martis in crocum mediante sola aqua pluviali redacta,  
item antimonium martiale cacheoticum: hæc duo æqua-  
li portione cum nitro præparato & arcano duplicato  
mixta, quotidie bis drachmam semis pro dosi exhibendo  
extra paroxysmū contumacissimas omnis generis hæ-  
morrhagias frequenti Dn. Præsidis experimento sustu-  
lerunt. Præter hæc leniores tinturæ martiales commo-  
de quoque hic locant operam uti tintura martis pomata  
cydoniata, magysterium martis Mynsichti & ante  
omnia tintura martis Zwölferi, quæ virtute aperiendi  
& roborandi mirifice se commendat. Et notabile est, me-

dicamenta hæc martalia & sanare nimium mensum  
fluxum & suppressum quoque producere posse. Præte-  
rea obstrunctiones profligando laudabile operam collo-  
cant in compescendis hæmorrhagiis chronicis infusa ex  
herbis vulnerariis & amaris, quæ ut plurimū sale quodam  
subtili nitroso ac balsamico agunt, qualia sunt agrimonia  
hedera terrestris veronica, scordium, scabiosa, card. Be-  
nictus flores hyperici, bellidis, papaveris rhæados,  
quæ instar herbae thee cum aqua bibi possunt vel e-  
tiam redigi in extracta, formaque pilularum ex-  
hiberi, ut blanda sic introducatur sanguini tenuitas ac spi-  
rituascentia, quæ blande etiam solvendo obstrunctiones,  
hæmorrhagiorum genetrices, hos morbos egregie an-  
tevertere possunt, quæ virtute etiam laudantur pillulae sic  
dict. Becherianæ aquæ ex extractis herbari amarican-  
tium & balsamicarum, nec non ex guinatib⁹, ut mihi re-  
latum est, præparantur. Tandem prospiciendū maxime  
ventriculo ac digestioni est extra paroxysmum hæ-  
morrhagiarum. Ut plurimum enim ægrotantes ibi ma-  
xima sentiunt in commoda. Laudem autem merentur  
blanda carminativa ac balsamica, uti nucista crocus ze-  
doaria quæ inter ipsos cibos offerri possunt. In usu sex re-  
rum non naturalium summo studio evitentur, maxi-  
me excessiva quoad aërem in primis cibum ac po-  
tum & affectus animi. In hisce enim temperies mode-  
ratio ac æquilibrium, uti sanitati faventissimum, ita in o-  
mni morborum etiam hæmorrhagiarum genere est  
summa proficuum ac necessa-  
rium.

CLA-

***CLARISSIMO***  
**J. D. DOLÆO,**  
**MEDICINÆ CANDIDATO DIGNISSIMO,**

S. P. D.

P R Æ S E S.

**V**erissima scribit doctissimus *Foreſtus in obſerv.* Præstat magis eo laboremus, ut fideliter curemus, quam ut ſubtiliter diſferamus. Sola enim praxis eſt, quæ medicum utilem reddit, illumque nobilitat. Speculatio omnis, quam blanda & ingeniosa etiam ſit, ſi uſu caret, vana & ſterilis, ſi que bene calculum ponimus, frequentius non niſi phantafiae ſubtilioris foetus eſt. Hisce autem neutiquam temeritati empiricæ patrocinium addere in animo eſt, ſed potius ſic cenſemus: veram & rationalem praxin medicam tam arcto cum theoria contineri vinculo, ut ægerrime queat separari. Praxis enim nil niſi theoria in uſum traducta, & theoria praxis ad solidiorem rationem perducta eſt. Etenim omnis experientia ſibi relicta, niſi divino rationis radio excoeta & perfecta ſit, trunca, periculosa, fallax eſt, & medicum turpiter defert. Multum certe intereffet inter empiricum & medicum peritum. Ille tantum, quantum ſenſu movetur, ſcit, parum ſentiens morbi cauſas promiſcue propinat remedia. Rationalis conſequentia cernit, principia & cauſas morborum perſpicit, earumque progreſſus non ignorans ubi viſ ſecura pauca & ſelecta oponnit remedia. Si que non diſsimulem quodrē eſt, illi parum ab empiricis alieni mihi videntur, qui nempe physicis, anatomicis & genuinis pathologicis deſtituti principiis, magnam remediorum ſylvam ad unumquemque morbum ſciunt, illorumque compositionem

&

& præparationem exacte tenent, ad curationem autem copiosas proferunt formulas, sique forte unum parum prodest, continuo ad alterius opem concurrunt, subinde facta mutatione, & dum morbus vel sponte vel naturæ beneficio quam remediis potius sanescit, laudem tamen a vulgo ad judicandum inepto, vel ab illis doctis, quibus sacraria solidæ eruditionis clausa sunt, non raro au-cupantur. Varietas medicamentorum recte sentiente Verulamio ignorantiae filia est. Pauca sunt, quæ morbum sanare debent & possunt. Felicem itaque prædico Te, Clarissime Domine Dolæ, & studiis tuis huc usque perductis toto corde gratulor, quæ amico experientiæ ac rationis fædere juncta præfens inaugurale specimen ostendit. Ex Academia Marpurgensi ad nos delatus, per triennium fere nobiscum vixisti laudatissimo conatu, imo impetu in addiscenda scientia Medica. Non illotis manibus ad sacraria hæc properasti sed philosophiæ solidioris præceptis imbutus primum magno calore Chymiam & Anatomiam, quæ fulcra Medicinæ sunt, excoluisti, & demum Pathologicis & Practicis non minus operam sedulam dedisti, in omnibus manuductione mea fideli & sincera uetus. Vires ingenii tui, tota Academia & invidia teste, subinde disputando ostendisti, ut sic generosa affiduitate exiguo temporis spatio id obtinueris, quod aliis Philiatris longa annorum denegat series. Nulli itaque dubitamus, cum semen virtutis scientiæque Paternæ quasi innatum tanta præstantia hucusque excolueris, quin aliquando summum fructum & gaudium Pater, Patria, Tuique a studiis tuis sint repetituri. Magis hac virtute tua & promeritos honores ex voto capesse! Induleat clementissimus Deus, Teque & Patrem Tuum Celeberrimum, Fautorem æstimatißimum, in bonum rei Medicæ quam diutissime servet!

05 A 2314



KDT



# Farbkarte #13

B.I.G.  
Black  
3/Color  
White

Magenta

Red

Yellow  
Green

Cyan

Blue

Centimetres

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

OLENNIS MEDICA  
De

# HAGIARUM INE ATQUE CU- K PRINCIPIIS ANICIS.

<sup>tam</sup>  
SIGNIFICENTISSIMO,  
ENTUTIS PRINCIPE,  
CO GUILIELMO,  
ANDENB. HEREDE,  
&c. &c.

RIDERICIANA  
is Medicæ Consensu  
SIDE

O HOFFMANNO,  
IDEMQVE AC PHILOSOPH.  
O ELECTORALI AULICO,  
ICI h.t. DECANO,  
RE AC PROMOTORE SUO  
NIBUS COLENDO.

ATUS GRADU  
ETRANDO,  
CVII. horis ante & pomeridianis  
ORIO MAIORI  
iustioni submitit

NIEL DOLÆUS,  
Wetteravus.

R. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.